

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

nostra locum esse debere. Quia de re non dubito, quin & D. Parens, & fratres ad te copiosius perscribant, ideoq; nihil nunc putavi addendum. Ungarus autem iste vehementer à me petiit, ne sine meis ad vos descenderet. Etsi verò dignos judico conatus ipsius favore bonorum, tamen quomodo à vobis juvari possit, non video. Pium, modestum & industrium ipsum esse scio: aderis igitur ei tuo consilio, quantum poteris. Rev. & Cl. D. Collegis tuis D. D. Kirchnero & D. Patienti, & D. Lautebachio etiam sal. reverenter adscribo. Bene in DOMINO vale. Argentor. 23. Decembr. 1580.

*Tuus in DOMINO frater*

Joh. Pappus, D.

XXXIII.

**S**alutem! Initiò, Reverendissime & Clarissime vir, R. D. T. & toti familiæ felix auspiciis novi anni, feliciorum decursum & felicissimum exitum toto pectore præcor, ac DEUM veris gemitibus oro, ut R. D. T. in hac trisili cribratione confoletur, servet, vivifiet, erigat, tueatur ac defendat contra rabiem Sycophantarum, & furorem Calvinistarum, qui conjurarunt adversus Dominum & Christum ejus, ac quantum in ipsis est, cælum terræ miscere conantur. Singulari cum gaudio percepi, Senatum vestrum sumpsisse animum, & aliquo modo furores quorundam reprimere cœpisse. Faxit Dominus, ut magno animo pergant & hostium machinationes pro officio reprimant. Ego per DEI gratiam salvus & incolumis ex legatione illa ad meos redii, & pro illa clementi deductione ac reductione DEO opt. max. gratias ago. Etsi autem non dubitem, quin à filio, compatre meo colendo, Domino D. Philippo, præcipua cognoveris, quæ ibi effecerimus, tamen pro ratione acutissimæ necessitudinis & unionis in Christo, putavi me recte facturum, si ipse quoque R. D. T. quædam haud gravatè communicem. Visitavimus Academiam Jenensem, ejus status corruptissimus fuit & adhuc est, propterea quod Theologiæ facultatis Professores duo, Voitus & Sartorius impuri sint in doctrina, & corruptelis addicti. Certe non obscure partes Witebergenfium defenderunt. Convicimus eos falsæ doctrinæ, partim ex publ. concionibus, partim ex dictatis. Coacti tandem agnovērunt, se de exaltatione humanæ naturæ in Christo, de cœna Domini, de sessione ad dexteram, de Evangelio, de libero arbitrio, de bonis operibus, &c. non juxta verbum DEI & Formulam concordiæ docuisse, idque suis Chyrographis seu propriis manibus contestati sunt.

*Junq.*

sunt. Licet autem hoc fecissent, tamen D. Voitus pro more istorum hominum durante visitatione, quædam mutabat, & ea quæ publice pro concione dixerat, postea subdole in ipsa concione, quam scriptâ exhibere cogebatur, omiserat, quæ tamen ipse postea rursus sua manu corrigebat, non menstruâ habens fidem, sicut de quibusdam Hieronym. scribit, verum paucarum horarum. Edita tamen nunc est illa concio, sicut ab ipso correctâ fuit. Polliciti quidam sunt constantiam in agnita recepta veritate, verum ego de ipsorum fide valde dubito. Reliqui Professores licet non aperte profiteri audent, in sinu tamen Calvinismum fovent. Est ibi Jureconsultus, Petrus Wesenbecius, qui aperte Calvinism. profitetur, quem tamen ipsi hæcenus ad cœnam Domini sine contradictione admiserunt. Summa rei est, nisi Illustriss. Electores homines istos vel removeant, vel addant eis tertium, tanquam inspectorem, nunquam officium suum recte facient, multo minus recto pede ad veritatem Evangelii incedent. Vulpes enim pilos non animum mutat. Et lupus dum languebat, monachus esse volebat. De causa Sturm. contulimus, & de similibus rebus, quæ ad commune negotium concordie pertinent. Verum ea res rejecta fuit post nundinas Francofurtenses. Sentiebant enim nostri, expectandas esse illas nundinas & videndum, num Adversarii plura in medium contra Concordiæ librum adferre velint, ut postea uno negotio & labore omnibus simul responderetur, divulgata gravi & modesta Apologia, in qua præcipua argumenta Advers. dilucide refutarentur, Jacobus noster initio totum hoc consilium improbabat, dicens, non opus esse illo conventu Theol. nam se utcumque didicisse, quid soleant facere in ejusmodi conventibus, nimirum litem ex lite serere; se velle publico scripto ea refutare, quæ Wolfssius, Sturmius & alii Sycophantæ opposuerint, nec etiam opus esse prolixa refutatione, cum tantum mendaciis & conviciis certent. Verum reliquis contrarium videbatur. Quantum enim damni dent illa scripta, experimur omnes. Et opus esse aliqua gravi Apologia, qua imbecilles confirmantur, & hostium convicia repellantur, extra controversiam est. Est & hoc manifestum, privati hominis scripto non posse facile Adversariorum libris satisfieri, publicam autoritatem tum propter præsentis, tum imprimis propter posteros requiri. Rejecta igitur est deliberatio ad principes, & petatum, ut post festum Paschatis conventum Theol. & Politicorum recte sentientium instituere velint. Quo autem in illo ipso conventu omnia rectius & citius expediri possent, decretum est, ut Principes Theol. suis injungant, quo inter cetera omnia illa maledica scripta legant ac expendant, ac in timore cogitent, qua methodo possint ac deberent refutari, ne in ipso demum conventu necesse sit lectioni librorum diu immorari. Et hæc quidem bene deliberata fuerunt, & relata: Sed executio hæcenus deest, Dominus largiatur Principibus animum, ut strenue pergant. Reconciliati sunt Dominus D. Chemn. & Jacobus, & firma futura est concilia-

tio illa, si D. Jacobus servabit ea, quæ promisit, hoc est, si bſtinuerit à præjudiciis, & non condemnet non auditos, quod tamen Dux Julius ad partem petit. Abolet D. Jacobus in illis terris publicam disciplinam, siue pœnitentiam, ut vocant, & propterea male audit. Nec probare possum eam abrogationem, quæ sit tamen multorum scandalo, & impios in sua securitate haud mediocriter confirmat. Inferuit illa reformationi Eccles. Saxon, quam conscripsit, & Elector nunc publicavit. Verum ea de re aliàs plura, de Edone nostro quid futurum sit, nondum scitur. Datum est ei spacium deliberandi ad Calend. Jan. Elapsum nunc est, verum adhuc altum silentium est. Dicuntur quædam de literis ab ipso ad quosdam scriptis; verba quidem hæcenus audio & audiui, pistillum, ut vocant, in campana desidero. Nos in facultate nostra impedimur, & nec examina nec disputationes instituere possumus, cum diserte profiteatur, se à nobis dissentire, & in articulo de person. unione sentire cum Papistis & Calvinistis; his enim verbis usus est coram ipso Electore, me præſente. Proclamat nos Flacianos, Eutychnos, &c. imo in faciem dixit coram Elect. nos esse ubiquitistas Eutychnos. Tolerantur hæc omnia, nos interea hæremus, expectantes manum altissimi. Necessè est aliquid fieri, aut ego non video, quomodo manere possim aut debeam. Spes nobis facta est & fit, aber es hengt und wil nicht fort. Accedunt alia nova, de quibus si DEO placuerit alio tempore. Jam mecum agit Illustr. Elector, uti maneam in statione, & promittenti, certo me mansurum esse, offert auctorem stipendii & alia. Etsi autem justas & graves causas discedendi haberem, tamen si video eum facturum officium, non detrectabo manere. Offeruntur mihi splendida functiones, sed libenter gloriam DEI & salutem harum Eccles. præferam privatis meis commodis, modo nostra facultas repurgetur. Minantur quidam ex collegis, si Edo removeatur, verum ego minas ipsorum floccipendendas esse censerem, modo Princeps animum sumeret & quæ faciendæ sunt, faceret. Sed Dominus his quoque finem optatum daturus est. Plura nunc scribere non possum, cum tardius cognoverim, hunc tabellar. Argentinam iturum esse. Adjunctas literas quæso per occasionem mittas Basileam ad filium, à quo longo tempore nullas accepi. Bene in Domino valeat R. d. t. cum Ecclesia sua domestica. Raptim Heidelbergæ. 2. Jan. Anno salutis 1581.

R. d. t.

Deditiff.

Timotheus Kirchnerus.

XXXIV.